

actis S. R. C. referri necnon literas apostolicas sub plumbo de eodem mandavit. Hac die 27. Augusti 1822 n. 4593.

Vd. etiam Bull. r. Contin. t. XV. pag. 618.

*Sequitur Constitutio SS. D. N. Pii PP. VII., qua confirmantur praefata Decreta.*

*Pius, Episcopus Servus Servorum Dei.*

*Decet Romanos Pontifices* pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, quae per eos identidem decernuntur, privilegia praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari aliorumque jura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem sacris Ritibus praepositam discussa opportune praefinire, quidnam juris inducant Mitrae ac Pontificalium usus aliaque id genus Insignia, quibus placuit apostolicae Sedi Abbates Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores ad quaedam Canoniorum Collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII. Praedecessor Noster, habita coram se sacrorum Rituum Congregatione die 27. Septembris anno 1659 decretum sancivit, quo leges traduntur de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. Constitutionem, quae incipit: *In Throno Justitiae*\*) edidit 13. Cal. Martii anno 1752, ad decreta adprobanda, quae eadem Congregatio vulgaverat de privilegio Pontificalium, quo Urbinatense

\*) Hanc constitutionem vd. supra p. 627.

Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

Haec vero aliaque in eam rem data decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignorantia sua interdum executione carere multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab apostolicae Sedis indulgentia ad cultum religionemque in Sacrorum tractatione ipso etiam ornatum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco et graves quaerelae perlatae ad Nos sunt, ut et episcopalis Ordinis Majestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus episcopalis dignitas splendet, sibi adtributa arbitrantur et accuratam sacrorum Rituum observantiam vindicemus, quos talium concessionum praetextu impune perstringi admonemur.

Ne itaque usus hujusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus id adhibentes remedia, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant: neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu Pontificalium in Metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum injungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, decretum ab eadem prolatum est die 27. Augusti anni proximi praeteriti, quod hic adjungimus, videlicet: „Ex Romanorum Pontificum indulgentia etc.“

(Hujus decreti tenorem omittimus, quia supra habetur pag. 635.)

Hoc porro decretum ac rationum

momenta caeterasque s. Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum hujusmodi usu plura incommoda redundare haud parum detrahi splendori episcopalis dignitatis, quam sartam ubique ac tectam Nostri est muneris protueri, idem decretum, ut illius dispositio firmiter subsistat atque accuratius observetur ab omnibus, auctoritate apostolica, tenore praesentium adprobamus et confirmamus etque perpetuae inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adjicimus illudque ab iis omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri nec ab illius observantia et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

Praeterea hisce nostris apostol. literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac, quatenus opus sit, denuo adprobamus et sancimus, quae per Praedecessores Nostros ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato decreto diei 27. Septembris 1659 illiusque declaratione edita sub die 20. Julii 1670 necnon per fel. recor. Benedictum XIV. sub Constitutione, quae incipit: *in Throno justitiae*: atque per sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu Pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus et Canoniceis attributo.

Quocirca Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis aliisque locorum Ordinariis per apostolica scripta mandamus, ut praesentes nostras literas atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate Nostra debitae executioni mandare illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet per opportuna juris et facti

remedia, appellatione postposita, compescendo.

Praesentes autem literas semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore ac nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel alio quocumque defectu notari, impugnari, invalidari, retractari aut in jus vel controversiam vocari nec sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos et Sedem apostolicam praedictam sub quibusvis tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio facto et faciendis comprehendendi vel confundi, sed semper ab illis excipi et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse suosque plenarios effectus sortiri et obtinere.

Sicque et non alias per quoscumque Judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Caesarum Palatii apostolici Auditores ac praefatae S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice-Legatos dictaque Sedis Nuncios judicari et definire debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, Ecclesiarum, quarum Capitulis pontificalia Insignia concessa reperiuntur, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et Literis apostolicis, quibusvis personis in genere vel in specie aut alias in contrarium praemissorum

quomodolibet forsā concessis, confirmatis et invocatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficientes expressis et insertis habentes, illis alias suo robore permansuris, latissime et planissime ac specialiter et expresse necnon opportune et valide ad praemissorum validissimum effectum ac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut praesentium Transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae adprobationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem 4. Julii 1823.

H. Cardinalis Consalvus.

A. Benigni Sub. Dat.

Visa de Curia: D. Testa.

(Loco † Plumbi.)

F. Lavizzarius.

(Vd. etiam Bull. r. Continuatio t. V. pag. 618.)

### Hydruntin.

S. R. C. humillime exposuit Rmus Hydruntin. Archiepisc. illa in Provincia sensim Canonicos omnes sine speciali privilegio sibi vindicasse quaedam specialia honoris insignia quasi sibi debita, ex quo renunciatur Canonicis, gestandi nimirum in galeris cordulas cum floccis et caligas violacei coloris, quosdamque ex ipsis etiam anulum; propterea pro sui muneris parte quaesivit: An usus a Canonicis tum Cathedralium tum omnium Collegiatarum pluribus abhinc annis inductus deferendi sericos in galeris floccos et caligas violaceas, quae jam in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris aut personatus insignia, prohiberi debeat vel tolerari, quum timeri possit, an idem censendum sit de usu anuli aut in quibus circumstantiis? S. eadem C. ad Vaticanas aedes ordinariis in Comitibus infra-scripta die coadunata ad relationem R. P. D. Secretarii, omnibus rite consideratis atque examinatis rescribendum censuit: „Moderandam esse consuetudinem juxta Constitutionem: *Decet Romanos Pontifices*, s. m. Pii Papae VII. quarto Nonas Jul. 1823. editam: quoad vero anuli usum serventur decreta pluries edita, praesertim in Beneventana pie 13. Sept. 1670. ad dubium 2., quo anuli delatio in missa est vetita omnibus Sacerdotibus, etiam si sint protonotarii titulares, dignitates et canonici Cathedralis.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4382; die 11. Apr. 1840.

Neritonen.

Pluribus praerogativis et honorificentis a tempore, cujus initii memoria non extat, fuisse potitos Archipresbyteros pro tempore Collegiatae Ecclesiae B. M. V. ad nives Oppidi

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.

Dum S. R. C. a *fel. record. Pio VII.* deputata in peculiari conventu die 27. Augusti 1822. providis legibus modum imposuit Capitulis et Canonicis, quibus insignium pontificalium usus vel exercitium aut utrumque indultum est, ne sibi indebitos usurparent honores, utque ab usurpatis in posterum desisterent, simul addidit per statutas leges apostolica auctoritate firmatas, ope Constitutionis: *Decet Romanos Pontifices etc.*, editae IV. Nonas Julias 1823. nullum inferri praejudicium Capitulis, si quae sunt amplioribus privilegiis decorata. Sed quoniam evenire facile poterat, ut aliqui perperam interpretando hanc exceptionem et praeservationem eadem abuterentur censentes sibi licere morem sequi et honorificentias in decreto et constitutione non expressas adhibere, ac si essent speciali indultu vel immemorabili consuetudine, quae justum supponit titulum, roboratae, ideo cautum consulto fuit, ut si quae sunt, aut esse putantur hujusmodi privilegia in sacra Congregatione perpendenda deducantur ad effectum opportune discernendi, quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit. Latæ legi obtemperans Neritonensis Antistes et Apostolicae Constitutioni §.: *Quo circa praecipiente locorum Ordinariis, ut praesentes nostras Literas et singula in eis statuta faciant auctoritate nostra debita executioni demandari illaque inviolabiliter observari*: interdixit quasdam honorificentias et praerogativas, quas agnovit nec expressas nec permissas in praefatis decretis et subsequenti Apostolica Constitutione Archipresbytero primae dignitati insignis collegiatae Castri Cupertini, qui, licet nec injuria nec perperam iisdem uteretur, reverenter tamen mandatis paruit. Verum cum

Cupertini quondam nullius, nunc autem Neritonem. dioecesis, evidentissime evincunt Literae in forma Brevis sa. Me. Clementis XI. die 29. Decembris anni 1713., quibus tunc temporis Archipresbytero illa confirmabantur. Vulgata vero per sa. Mem. Pontificem Pium VII. constitutione: *Decet Romanos Pontifices*, qua ad praescriptum canonicarum Sanctionum indulta quaelibet et privilegia erant revocata, arbitratus est Reverendissimus Archiepiscopus Neritonen. hujus vigore hodierno etiam Archipresbytero ab assertis juribus abstinendum, cujus sane jussu facessere hic illico studuit. Quoniam vero, ne cuiquam praejudicium inferri videretur, cautum fuit in laudata constitutione, ut, si qui amplioribus privilegiis se decoratos arbitrentur, haec ad S. R. C. deducerent perpendenda, hinc Vincentius Maritati Archipresbyter Cupertinus ne sibi et successoribus pro tempore Archipresbyteris s. Mariae ad nives oppidi Cupertini Neritonen. Dioecesis ex acquiescentia praejudicium aliquod inferatur, exhibitis juribus, quae favere possunt, sacram Congregationem rogavit pro manutentione et, quatenus opus foret, pro nova privilegiorum confirmatione.

Et eadem S. R. Congregatio praerequisitis rationum momentis serio diligenterque perpensis referente eminentissimo et reverendissimo Domino Card. Falzacappa ponente rescribendum censuit: „Affirmative quoad trinam benedictionem et quoad anulum tantum.“ n. 4614.

Die 5. Martii 1825.

Facta autem SSmo Domino Nostro Leoni XII. Pontifici Maximo relatione Sanctissimus annuit.

Die 8. dicti mensis et anni.

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

bonum jus habere crederet, ne sibi suisque successoribus detrimentum silentio afferet, e re sua esse duxit S. C. rogare, ut dignaretur declarare, privilegia, quibus hucusque usus fuit, legitime fuisse inducta ac propterea in possessione ipsum esse manutenendum. Eminentissimi autem Patres sacris tuendis Ritibus praepositi inhaerentes dispositioni §. *Si quae vero* etc. antedicti decreti abnuerunt ab iis, quae documentis destituebantur, veluti erat mos *sumendi ex altari paramenta, adhibendi assistentem ministrum supra numerum, sedendi in mobili sede coriacea*, et coercendas praerogativas declaravit dumtaxat ad duo, videlicet, quoad trinam benedictionem et quoad anulum. Illa habetur in supra relato decreto. de his namque plene constabat praesertim ex actis visitationis peractae anno 1686., in qua Episcopus cognovit: *Che il Reverendo Arciprete di Copertino aveva il privilegio ab immemorabili di benedire il popolo col Santissimo Sacramento con tre Croci, come suole benedire il Vescovo, ed anco tiene privilegio di celebrare la Messa, o solemne, o privata con lo anello in dito*. Propterea hujusmodi praerogativas approbavit confirmavitque. In instrumento vero possessionis datae proviso a felic. recordationis Clemente XI. de Archipresbyteratu legitur eundem admissum in possessione fuisse: *Apponendo in uno ex ejus digitis anulum gemmatum, quem continuo gestare debet et tam solem-nibus quam privatis missis et ubique locorum, ac pariter in triplici benedictione populi cum Venerabili Sacramento ad instar Episcopi, ut ex privilegio etc.*

Facti seriem exponere opportunum duxi, immo id consulto feci, ut, qui in casibus huic affinis versantur, intelligant, quae fuerit mens Sac.

Congr., dum decreto generali adiecit clausulam *praeservativam*, quae simul *suspensiva* est. Qui enim in dignitate aliqua constituti pontificalibus fruuntur Insigniis vel etiam exercendi Pontificalia habent in more, ne credant sibi licere usum honorificum alijus praerogativae, quam sibi debitam, praeter expressas in decreto et Apostolica constitutione, arbitrantur vel ex privilegio vel ex consuetudine priusquam jura ad Sac. Rit. Cong. deducant et hujus decisionem obtineant. Nam non datum est ipsis de legitima possessione decidere, sed examen et judicium eadem Sac. Cong. sibi reservavit et semper est parata juxta canonicas sanctiones ad confirmandum privilegia, si quae legitima repererit, vel immemorabilem consuetudinem, si plene probatam cognoverit. Sciant quoque Episcopi alijque locorum Ordinarii onus sibi injunctum exequendi praefatum generale decretum, quod utpote Apostolica auctoritate firmatum vim legis universalis obtinet: proindeque, si in respectivis Dioecesibus aut separatim Territoriis quid inductum invenerint vel praeter vel contra in decreto indulta et specialiter expressa, jubere debent, ut adamussim servetur idem decretum; et interea, specialis praerogativae usu suspensio, ad Sac. Rit. Cong. deducantur documenta, ut eadem, juxta casuum diversitatem et documentorum pondus, providere possit et quid in posterum servandum sit, praecipere, veluti in praefato casu Archipresbyteri Collegiatae Castri Cupertini Dioecesis *Neritonensis* factum est.

Lycien.

*Facultas dignitatibus et canonicis cathedralis Lyciensis celebrandi in pontificalibus.*

*Pius PP. VII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quantum splendoris ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum Sacerdotibus suis in Sacris faciendis praescripsit vestes sed etiam in templis magis conspiciendis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus interdum particularia ornamenta deferenda concessit.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae Lyciensis nuper exponi fecerunt, ipsi apostolico indulto utendi mitra gaudeant ac eadem cathedralis ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrorum suppellectilium copia sacrorumque ministrorum numero, probitate et doctrina ita floreat et florerit, ut nonnulli ejus Episcopi ad amplissimum S. R. C. Cardinalium ordinem unus etiam ad summum pontificatus apicem fuerint evecti, cumque praeterea accedat ipsius Lyciensis civitatis celebritas, quae tanta est, ut non modo capitalis illius provinciae existet sed etiam regali studiorum universitate decorata, atque novendecim regularibus utriusque sexus conventibus et monasteriis ac variis conservatoriis, orphanotrophio aliisque piis institutionibus locupletata reperiat, multum splendoris et ornamenti ad ecclesiam et civitatem hujusmodi accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi susciperet incrementa si ejusdem cathedralis dignitates ac canonici novis praerogativis per Nos et hanc sanctam Sedem donentur.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi

volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovismodo et quacumque de causa latis, si qua forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis presbyteris dictae cathedralis ecclesiae Lyciensis, ut in Ecclesia praedicta ac etiam in aliis ejusdem civitatis et dioecesis Lyciensis ecclesiis pontificalia deferre ac in pontificalibus celebrare ad instar dignitatum et canonicorum metropolitanae ecclesiae Neapolitanae in omnibus et per omnia (excepto tamen pastoralis seu abbatiali baculo) libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus et indulgemus dictosque dignitates et canonicos desuper a quovismodo impediri, molestari et perturbari nullatenus posse ac irritum et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 2. Oct. 1804.

(Bull. r. Contin. t. XII. pag. 243. Ed. Romae.)

*Confirmatio privilegiorum et consuetudinum ecclesiae metropolitanae Ravennatensis.*

*Leo PP. XII.*

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quae provide sapienterque per felicis recordationis Pium PP. VII. decessorem Nostrum sua Apostolica quarto Nonas julas elapsi anni millesimi octingentesimi vicesimi tertij

edita constitutione ad privilegia, quibus nonnulla canonicorum collegia cohonestata fuere, praestitutis legibus continenda, ut sacrorum Rituum congregationis decreto diei vicesimae septimae Augusti millesimo vicesimo secundo super declaratione usus pontificalium robur ac firmitas accederet, sancita sunt, capituli metropolitanae ecclesiae Ravennatensis decora et privilegia alias a praedecessoribus Nostris concessa magis magisque declarant atque confirmant. Vetustissima siquidem illa Ravennatensis metropolitana ecclesia innumeris pene praeclarisque clara nominibus, quae ex testimonio felicitatis recordationis Innocentii PP. III. praedecessoris Nostri quasi primogenita est apostolicae Sedis, dum sanctus Apollinaris, postquam cum Apostolorum principe Antiochia Romanam venerat, ab ipso divo Petro ordinatus episcopus Ravennam ad Christi domini evangelium praedicandum mittitur; multis cumulata sanctorum exuviis, qui ibidem pro Christo primi episcopi exemplo adducti fortiter dimicarunt, est tantisque meritis vetustae recentisque memoriae celebrata a summis etiam romanis pontificibus praedecessoribus Nostri fuit cohonestata peculiaribus ornamentis atque insigniis ad divini cultus incrementum atque ad uberiores sacri ministerii et ecclesiasticae disciplinae fructum et dignitatem. Biscentorum quasi anorum spatio hisce condecorati privilegiis canonici recensitae Metropolitanae libere et licite pereniter quoque illis uti quibant, dum prae laudatus decessor Noster Pius PP. VII. apostolicam edidit constitutionem praedictam, ut sacrorum Rituum congregationis decretum memoratum super declaratione usus pontificalium confirmaretur, quoniam nullo unquam tempore proprio indulserunt ingenio, sed tantum solennes sacrorum ritus pere-

gerunt juxta indultorum placitum. Ast inspectis iis, quae ipsa in institutione sancita sunt, nimirum: Si quae vero capitula amplioribus ac praeter hujusce decreti instituta privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaribus haec jura in sacram congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur — propriis maluerunt carere insigniis quam inter inobedientes recenseri atque adnumerari modicoque subsistentes tempore, quo possent modum et ordinem adhibere in afferendis privilegiorum momentis ex autographis desumptis, sacrorum Rituum adire congregationem, quae in ordinario coetu ad Vaticanum coacta fuit pridie nonas Maii praeteriti anni.

§. 2. Eorundem privilegiorum monumenta, quae propter tabularii capitularis vicissitudines praesertim incendii ab ipsis afferri potuerunt, sequentia sunt exequutorialia decreta h. me. Farsetti Ravennatis olim archiepiscopi in vim literarum apostolicarum edita nimirum: Visis et auditis litteris apostolicis Sanctissimi Domini Nostri Benedicti PP. XIII. datis Romae die sexta Aprilis anni proxime praeteriti millesimi septingentesimi vicesimi septimi et die decima nona Augusti ejusdem anni, Nobis pro parte nostri metropolitanae capituli exhibitis et praesentatis, siquidem non ab rasis nec vitatis nec in aliqua ipsarum parte suspectis sed omni prorsus littera et vitio carentibus, audita etiam instantia et requisitione Nobis facta a praedicto Nostro metropolitanae capitulo, quatenus ad illarum exequutionem procedere deberemus, Nos eas omni, qua decet, reverentia recipimus et debitae exequutioni juxta earundem seriem et tenorem demandari volumus et praecipimus. Decernimus proinde vigore dictarum literarum apostolicarum

libere dignitatibus et canonicis nostrae metropolitanae ecclesiae pro tempore existentibus eorumque successoribus in perpetuum tam in civitate quam in archidioecesi nostra, tam Nobis quam successoribus nostris praesentibus vel absentibus ac etiam coram Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, nunciis apostolicis, in missis, vesperis ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis ac in reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra aliisque indumentis et paramentis tantum ad instar abbatum usum mitrae habentium libere ac licite uti et in suis armis et insigniis mitram apponere facere et addere. Insuper declaramus, indumenta et paramenta ad instar abbatum usum mitrae habentium intelligi dalmaticam et tunicellam, crucem pectoralem, chirotecas, anulum cum unica gemma, sandalia et caligas cum usu faldistorii ac ministri de candela, vulgo bugia, necnon cum ministerio presbyteri assistentis praeter diaconum et subdiaconum. In omnibus vero diebus tam festis de praeccepto quam non, si dignitates aut canonici vespere aut missas decantaverint, sicut etiam in missis defunctorum celebrandis, indumentis et paramentis supra expressis uti liceat, si placuerit, et clericos aliosque ministros in decenti et competenti numero habeant, adeo ut omni pompa et venustate sacra actio peragi valeat, reservata tamen Nobis facultate determinandi dies pro peragendis functionibus pontificalibus juxta notulam et tabellam desuper conficiendam et arbitrio nostro taxandam. Quum missa in faldistorio tam a dignitatibus quam a canonicis cantabitur, praeter diaconum et subdiaconum etiam pres-

byterum assistentem adhibere liceat, et dicta assistentia fiat per mansionarios. At vero quum missa absque faldistorio cantabitur in scamno oblongo, ut hactenus juxta missalis Romani rubricas peractum fuit, tum assistentia fiat per hebdomadarios, ut mos est, et canonicus celebrans mitra tantum ornatus et ministro de candela in metropolitana, nobis absentibus, ut supra uti etiam poterit et in aliis ecclesiis nostrae dioecesis. Monemus autem eisdem sic celebrantibus non licere uti faldistorio nisi compacto ex ligno, quod auro vel argento linitum vel quovis alio colore superinductum sit, non tamen ex solido aurichalco, seu altero metallo; praeterea coram sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Nobis et successoribus nostris ac in nostra metropolitana ecclesia tapete tantum, non vero pradella uti posse, in aliis vero ecclesiis tam civitatis quam archidioecesis, Nobis tamen absentibus, supradictam pradellam apponi posse et debere; vestem vero ac pluvinaria non ex holoserico sed decentiori ex panno eidem faldistorio apponi libere ac licite posse. Insuper sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, Nobis et successoribus nostris praesentibus, etiam in pontificalibus bugia uti non licere: in missis vero privatis, in quibus pontificalia non adhibentur, bugia supradicta uti posse sciunt. In altari septima candela apponi non possit et unico tantum abaco in cornu epistolae, in quo duo candelabra collocentur, calix, missale, thuribulum, navicula et reliqua missae celebrationi necessaria, ac plevi cum unceo quoad lotionem manuum utantur, pontificales benedictiones cum trina crucis productione nec non cum sanctissimo Sacramento non nisi pontificalibus celebrantibus licere sibi meminere; praesentibus vero sanctae Romanae Ecclesiae Car-